

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## VI.

*Salutem per Christum plurimam.*

SI valetis, bene est, Valeamus. Reverende & eximie Dn. Doctor, Domine & Samice in Christo mihi plurimum observande & dilecte. Γεγονεσις iste, M. Helvicus Garthius, Alefeldianus Hessus, juvenis excitato ingenio & eruditione, pro ea ætate non vulgari, aditurus celeberrimam vestram Academiam, vehementer à me petiit, meis literis aditum quendam ad R. T. Dign. sibi aperiri. Etsi autem minimè abutendum existimo Vestra benevolentia, fretus tamen insigni humanitate. & erga ingenios piæ eruditionis alumnos summo studio, cujus argumenta nunc apud me extant plurima, non dubitavi, à R. T. Dign. hoc officii flagitare, ut patiatur M. illum Garthium sibi esse de meliore, quod ajunt, nota commendatum, Omnino enim confido, fore eum ejusmodi, ut neque me intercessionis meæ, nec R. T. Dignitatem tuæ benevolentia pœnitere possit. Constat procul dubio R. Tuæ Dign. de controversia D. Hoffmanni cum Philosophis Helmaestadianis, de qua ante triduum ad me fuerunt allatæ literæ, ejus hunc fore exitum, ut D. Hoffmanno difficulter pateat reditus, ad Academiam Juliam. Dn. D. Hunnius, Præceptor meus perpetuò observandus, qui Tybingam putabatur hoc tempore concessurus, anni unius adhuc facultatem impetravit, in Saxonia permanendi. Academiæ nostræ status, DEO largiente, satis nunc est tranquillus & felix. Saluto perquam reverenter & officiosè Collegium Vestrum Theologicum. Vale quam optimè, eximie Dn. Doctor, & hanc meam compellationem in optimam partem interpretare. Dabantur Margurgi festinanter XXVI. Martii, Ao. D CI.

R. T. Dignitatem

studiosissimè observans

Balthasar Mentzerus, D.

## VII.

*Salutem in Domino Servatore nostro. Reverende & clarissime Domine Doctor, amice & frater plurimum honorande.*

LAurentius Majerus circa hujus anni exordium abs te mihi commendatus, satis commodum apud nos locum in ministerio Ecclesiastico obtinuit. Alterum verò Dominum M. Matthiam Mevorum non vidi, nec sanè suadeo, cum nihil polliceri queam, ut ad nos spe provinciæ alicujus confere-

quon-